1636

DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS XX. FEBRUARII MDCCXXI.

M. GERMANO PREAUX PROFESSORE REGIO, Doctore Medico, Præside.

An à succo nerveo, totius ferè corporis nutritio?

QUI in macrocosmo, tantoperè viget & dominatur motus, in microcosmo sive homine non minùs potens & efficax. Totum hominis corpus in motu; hic in partibus quibusdam, ut corde, arteriis, diaphragmate, pulmonibus conspicuus: Nè credas tamen eas, in quibus non apparet ipso carere; viscera quippè suum habent licèt obscurum, sine quo suo nequeant officio fungi: quin & in homine cum somno sepultus quiescere videtur, comperias è functionibus corporeis vitales omnes, & naturales ferè singulas; è spiritalibus imaginationem & memoriam operari. Tanti igitur ad vitam momenti motus est, ut in ipso vita consistat, ac vivere nil sit aliud quàm movere & moveri, sitque ad vivendum motus calore magis necessarius. Si cessat is omninò, nec ullâ arte revocari potest, mors; si rité peragitur, sanitas; si malè & depravatè, morbus est. Hic à patentum semine in quo delitescit, in liberos tradux, fœtus in utero materno concluso vitalibus principiis inuritur; hunc solidæ partes primitùs suscipiunt, cor imprimis præcipuum humanæ machinæ elaterium, in quo absque ullo nervorum, aut sanguinis adminiculo primùm micat, in quo toto vitæ curriculo persistit, & post interitum superstes aliquandiù remanet: à solidis partibus in liquidas influit, quæ postea solidarum motum adjuvant, indèque exoritur motionis quisdam circulus, cujus potmodò nec principium nec finis.

A Tot morbis ab humano corpore, aut in ipso exerceri solitis, duplex consequitur pernicies; prima, partium fluidarum jugis dissipatio; secunda, solidarum detrimentum: fluidæ jugiter dissipantur, tum quoniam naturâ suâ atque indole facilè avolant, tum quia vase malè obturato, & poris atque foraminibus pervio, ut est humanum corpus, continentur: adde causarum externarum efficientiam, exercitia, labores, studia, vigilias, venerem, æstum, &c. Deteruntur partes solidæ, ipsarum elateria usu continuo laxantur, languescunt; cribra augentur, vel minuuntur, & proportionem quam cum succis debent habere, amittunt; quin & ossa etiam duríssima, tandem exatescunt, minuuntur, & in detrimenti partem veniunt. Quid mirùm postea si tenella satis, fragilisque humana machina tandem pereat, fiatque nil miserantis orci victima? elegans tamen & concinna cùm sit, meruit saltèm, ut, quoàd fieri posset conservaretur. Hoc munere fungitur nutritio, quæ aliud est nihil, quam succi qui effluxit, per novum succum instauratio: hic debitâ crasi & consistentiâ prædítus, & parti nutriendæ finitimus, ejus qui discessit, sumit locum, donec dissipatus ipse, alteri advenienti locum cedat; hinc facultates attractrix, retentrix, concoctrix & expultrix tam inutiles quàm imaginariæ cum veteribus Medicis ceciderunt; nec putes istum succum aut spiritu insito, aut proprio partis fermento indigere ut ipsi uniatur.

CORPUS humanum, licèt infinitis propemodùm partibus conflatum composita admodùm machina videatur, reverâ tamen satis simplex est. Fœtum primis conceptionis diebus investiga, discute, invenias aliud esse nihil quàm nervorum fasciculum. Spiritus generationis primus author, & opifex è masculo semine prodiens, fasciculum istum juxta naturæ legesdigerit, ordinat, disponit: exin è nervis extensis musculi; compactis & contractis, ligamenta, tendines; expassis, membranæ & viscetum stamina; excavatis, canales; convolutis, glandulæ formantur: in toto illo opificio, nil nisi nervos comperias. Hominem in statu post accretionem perfecto examina, partes omnes quæ non sunt fluidæ è nervis esse concinnatas evidenter apparebit; quin & ossa, quorum natura à nervis valdè discrepans videtur, mollia initio ac tenera fuisse constat, & ejusdem primitùs cum nervis conditionis. Ut quid igitur in albas & rubras, sivè spermaticas & carnosas partium discrimen? Cum, quæ sanguinis accessione carnosæ apparent ut cor, jecur, lien, renes, musculi, &c. Si sanguine exuantur, albæ mox & nervæ reverà sint: nervis itaque totam ferè humanæ machinæ compagem constituentibus debetur ferè omnis nutritio.

AT, quo nutrimenti genere copiosum nervorum systema ali conveniet? ab antiquis, corporis totius nutrienti munus sanguini fuerat impositum, ita ut carnosas & sanguineas, absque ullâ sui mutatione; spermaticas non-nisi transformatus aleret: hoc nutrienti corporis munere jamdiù sanguis excidit. Si quærant veteribus addicti quemnam usum, si nutritionis officio privetur, sit habiturus; nempè ut flumini in plures canales diviso, & universam urbem alluenti similis, singulis corporis partibus commeatus suppeditet necessarios, calorem & vitalitatem ubique diffeminet, motibus voluntariis inserviat, & partium fibras in se considere non patiatur: hæc sufficiant, ut nec otiosus, nec inutilis existimetur; at ipsi corpus nutrire non est datum. Ut humus lentis ac dulcibus pluviis melius quàm procellosis & tempestuosis irrigatur, sic corpus succo sensim & cunctanter admoto refarcitur meliùs quàm eo qui rapido nimis cursu feratur, ut sanguis est. In ipso, cùm duplex sit pars una rubicunda, altera albicans, rubicunda si exigua est, ut recentiores asserunt, & albicante multò minor, quomodò infinitis propemodùm nervorum propaginibus, sufficiens alimentum suppeditabit: si verò copiosa, nervosne alere poterit, quin ipsos simili colore inficiat, ut bilem videmus cysti sua conclusam, intestinum colum quà parte ipsi annectitur, flavo colore imbuere; persistens autem toto vitæ decursu nervorum albedo, ab alio quàm sanguine succo ipsos sustentari luculenter arguit. Ast, inquies, præstò aliquid est quod sanguinis vices supplere possit, succus ille nimirùm copiosissimus, cui lympha nomen est, cum sanguine obambulans; qui ab ipso secretus, in gelatinam spissam, igne supposito vertitur: verùm si succi istius originem scrutari libuerit, invenies ipsum ex alimentis genitum nil aliud esse quàm chylum pluribus circuitibus subactum & attenuatum. Equidem pro remoto nervorum nutrimento chylum agnoscere non recusamus; pro proximo non item.

NERVOS ex pluribus membranis conflatos esse canales, & usquè ad minusculos substantiâ quâdam albâ, spissâ glutinosâ farctos, ferè nemo negaverit: mirum in probandâ ejus existentiâ desudasse quosdam Medicos: quis talem substantiam esse putet animalem spiritum, quem omnes unanimi consensu Medici esse tenuissimum, levissimum, & ætherææ quolammodò naturæ prædicant? nec est, quod sentiant quidam, eum, si non sit animalis spiritus, esse saltem, ejus quoquo-versùm deducendi, vehiculum. Hic nervorum non subit cavum ubi a succo crasso & glutinoso dubio-procul suffocaretur; in nervoum membranas, seu potius fibras nerveas è quibus concinnantur, influit, ipsisque elasticam virtutem impertit, ad omnes corporis functiones tantoperè necessariam. Quid vetat igitur credere infinitarum penè glandularum, ex quibus cotticalis cereri substantia constat, alias ab allato sibi per arterias sanguine secernere spiritum animalem, qui in membranas instilletur; alias verò chylum, qui medullarem, quâcum planè convenit, substantiam, succi nervei primarium fontem refarciat? Ultimus hic usus præstabitur etiam à substantiæ cinerítiæ, quæ in medullæ oblongatæ, & medullæ spinalis centro existit, glandulis, à quibus succo nerveo non mediocres ferentur suppetiæ. Sed quisnam tandem istius succi usus erit? nimirum ut nervorum fibras humectet, foveat, molles efficiat & flexibiles, &, quod vera nutritio est, in ejus qui effluxit locum, substituatur. His muneribus ritè perfungetur, si sit legitimâ crasi & consistentiâ donatus: nam si tenuior non satis adhærebit, citiùs dissipabitur; si crassior in fibrarum poros subire non poterit, & ab utroque macies & extenuatio; si nimis aquosus, fibras instabit, & anasarcam pariet; si acrimoniam habeat, fibras exsiccabit, easque redder duras & rigidas. Porro juvenum, in quibus copiosus est, corpus molle, tenerum & flore quodam vivido renidens; senum, in quibus parcior, exuccum, squalidum, rugis asperum. Venere, laboribus, inediâ, dolore, mœrore, morbis pluribus minuitur; reparatur quiete, cibis euchymis, & somno cerebri amicissimo. Jam si patet nervos totum ferè corpus constituentes ab ipso nutriri, nonnelicet concludere,

Ergo à succo nerveo, totius ferè corporis nutritio.

Domini Doctores disputaturi.

M. Joannes Franciscus Coutier.
M. Joannes-Baptista Mongin.

M. Alexander le François.

M. Michael Procope Couteaux.
M. Joan. Claud. Adrianus Helvetius, Regi à sanctioribus Consiliis, & Medicus Regis perpetuò ordinarius, è Regiâ Scientiarum Academiâ.
M. Salvator Cluseard.

M. Petrus Mavalet.
M. Joan. Baptista Dodart, Regi à sanctioribus Consiliis, Archiâterorum Comes.

M. Philippus Douté, antiquus Facultatis Decanus.

Proponebat Parisiis THOMAS RENATUS GASNIER, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1721. à sextâ ad meridiem.